

24
23
34
4
5
6.
7.
8.
9.



1704.

1. Bordinus, Henricus: *De jure nobilitatis et vera ingenii*
late
- 2^a Bordinus, Henricus: *De modernis testamentorum abusu*
- 2^b Borden, Henricus, de: *De modernis testamentorum abusu*
- 3^a ^{Boekman, Jacobus Henricus} ~~Henricus~~: *De jurebus capitali sine imperio*
3 Sept. 1704, 1729 - 1757
- 4^a ^{Brunnemann, Jacobus} ~~Jacobus~~: *De jure limitum provinciarum*
von Recht zu Land - Graften 2 Sept. 1704 - 1738
5. Dommerer, Andreas Julius: *De rebus colorato*
6. Hoffmannus, Fridericus: *Dissertationes inq. medicae, criticae medicum sui ipsius*
7. Kemmerich, Frider. Henr.: *De corona Borussiae Friderici regi. Electori a Deo lata*
8. Keuling, Johannes Theophilus: *De intentione actionum in alios non mutante*
9. Ludov., Joh. Oct.: *Paradoxa pro jure retractandi*
Lransactio non novis instrumentis repetitur.

1707.

10. Ludovig, Johannes Petrus: De jure Germanicis feudis
Cognatis


10^a b. c. Ludovig, Johannes Petrus: De jure probarum hereditaria



to

ritan





1709

89

DISSERTATIO
DE
VESTITV COLORATO
IN LVCTV REGIO,

9

QVAM
RECTORE· MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO;
FRIDERICO VVILHELMO,
REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS BRANDENB.
HEREDE, AC RELIQA,

PRO LOCO
IN AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE
IMPETRATO,

Publicæ eruditorum disquisitioni subiiciet

M. ANDR. IVLIVS DORNMEIER,

RESPONDENTE
IACOBO SAMVELE SACCO,
Erfordienfi, S. Theol. & Philol. cultore.

a. d. Septemb. CIO IO CCXIII.

Haltæ, typis CHRISTOPH. ANDRÆ ZEITLERI, Acad. Typog.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is significantly faded.

3

Partial view of text from the adjacent page on the right, including the letters 'D', 'P', 'C', 'I', 'N', 'S', 'C', 'D', 'I', 'M', 'O'.



VIRIS
ILLVSTRISSIMIS ATQVE EXCEL-
LENTISSIMIS,
DOMINO
DANIELI LVDOLPHO,
LIBERO BARONI
DE DANCKELMANN,
POTENTISSIMI REGIS BORVSSIAE
CONSILIARIO STATVS INTIMO, REI MILITARIS
COMMISSARIO GENERALI, SVPREMI CONSISTO-
RII PRAESIDI, ET FRIDERICIANAE HAL-
LENSIS CVRATORI SVPREMO;

DOMINO
IOANNI DE BESSER,
IN EADEM AVLA REGIA CONSILIA-
RIO INTIMO, ET SVPREMO OFFICIORVM
MAGISTRO,

DOMINIS SVIS GRATIOSISSIMIS,

*Dissertationem hanc summo obseruantiae
cultu offert*

M. ANDREAS IVLIVS DORNMEIER.



æ ego id ausus nunquam fuissem, quod in præsentî sustineo, nisi suasores mihi extitissent summi ac prudentissimi Viri, quorum semper veneratus sum consilia, nec vnquam obsequii fructu destitutus. Tametsi enim haud ignorabam, Vos, illustrissima reipublicæ lumina, radiis Vestris ea quoque dignari, quæ in litteraria re suscipiuntur; hæsitavi tamen, an fas esset, cum dissertatiuncula mea in illam lucem prodire, tantisque Viris, tam arduis curis, hoc est, gubernandæ reipublicæ inuigilantibus, ex umbra veluti obstrepere. Excusit tandem hunc metum hæc ratio, quod meditabar, Vestram voluntatem a FRIDERICIANIS Musis, quarum ad Vos etiam cura pertinet, adco non diiunctam esse, vt mea quoque in causa non pridem eluxerit, quantum sibi polliceri fauo-

IN ANDREAS IAVVS DORNBERG

fauoris ac beneuolentiæ queant, qui ad cultio-
rem doctrinam in REGIA hac FRIDERICIANA
incumbunt. Ignoscas igitur, ILLUSTRIS-
SIME DANCKELMANNE, vt ex gratia TUA hanc mihi
licentiam vsurpem, & gratam erga Te mentem,
submissamque venerationem, incultis hisce pa-
ginis declarem. Ignoscatis, VIRI in vtraque re-
publica, & politica, & litteraria, insigniter ver-
sati, vt argumentum quoddam exhibeam, ex iis
depromptum studiis, quibus scio Vos & mirifice
fauere, & industria Vestra dudum satisfacisse.
Equidem adferre me quidquam posse, quod
non iam olim perspexeritis, vsque eo despero,
vt ne a prouectionibus quidem, ingenium me-
um longe superantibus, tale quid præstari posse
censeam: nec enim me præterit, quantum sit
ex ipsa doctrina nomen Vestrum, quam vene-
rabilis inter Musas fama DANCKELMANNIANA,
quanta eruditio Tua, PERILLUSTRIS Domine
de BESSER, & vt speciatim dicam, quam præ-
stans opus, & hæcenus inexhaustum, quod Tua
cúra

cura iam adornatur, dum ritus ac cærimoniâs
sollemnes euoluis atque examinas. Hoc itaque
sum inuitatus consilio, vt significarem, velle me
iisdem in studiis proficere, quibus Vos Patro-
nos esse maximos non scio tantum, sed mirum
in modum lætor: atque his ex causis non in-
gratum fore, quod submissa veneratione iam
offeritur, plene persuasus sum, Vestramque be-
neuolentiam, vti votis exopto, sic bona spe ac
fiducia præsumo, eidemque me meosque cona-
tus, si quid conabor in præclaris litteris, eadem
humanitate ac obseruantia commendo. Vos
autem, ILLUSTRISSIMI VIRI, qui moderandæ
reip. destinati estis, qui pacem consiliis Vestris
firmatis, hostium conatus debilitatis atque pro-
sternitis, qui litteris auctoritatem conciliatis ac
stabilimentum, Vos, precor, supremum Nu-
men, idemque potentissimum benignissimum-
que, florentes præstet atque incolumes, & vtri-
que reipublicæ, cui ornamento, cui præsidio
estis insigni, quamdiutissime superesse iubeat!
D. a. d. III Idus Octobreis, Halæ.



DISSERTATIONIS CONSPECTVS.

Luctus definitur. §. I.

Est nature conueniens. ib.

Et Scripturae II.

In luctu cur sit vestis mutata. III.

Exempla mutari vestimenti, speciatim Dauidis Regis IV.

Colorum in vestitu lugubri ratio

§. V.

Atri VI.

Albi VII.

Reliquorum VIII.

Qui Reges ac Principes, & quos colores adsumserint IX. seqq.

Alba vestis Imperatorum lugentium. X.

Color violaceus Regum Gallie. XI.

Candida Reginarum Gall. ib.

Blanches vnde dicta. ib.

Exemplum ex antiquitate de albo colore Reginae Didonis. ib.

Albus vestitus frequentior exteris, quam Europa gentibus. ib.

Atrata vestis exempla recentiora. §. XII.

Antiqua exempla XIII.

Notatur Kirchmannus. ib.

Vestis purpurata. ib. & XIV.

Color caruleus. XV.

De spatio lugentium Regum atque Principum. XVI. seqq.

§. I.



Lugendi ritum explicaturus, & colorem praecipue, qui ab Regibus olim ac Principibus fuit delectus, & in quibusdam aulis etiamnum adsumitur, faciendum censui, vt nonnihil de luctu generatim praelibarem. Principio quidem luctus definitionem, deinceps quo iure lugatur, intra paucissimos versus dabo: & luctum quidem, prout mihi hoc loco significat, ita definio, vt dicam pi-

* (4) *

etatis quoddam officium, quo defunctorum manes prosequimur, externo cultu seu indumento significatum. Ius autem lugendi ex natura pariter ac diuina Scriptura, sanctorumque exemplis, luculentissime adstruitur: quippe, si ad naturam attendimus, nulla gens tam fuit barbara, tam horridis incultisque moribus, in qua non aliqui suos, hoc est uxorem, parentes, liberos, cognatos, amicos, quoad in viuis essent, naturali quodam adfectu, eosdemque morte ereptos prosequuti sint. Testatur id ingens exemplorum series, quæ si non omnia, quamplurima tamen omnibus litterarum cultoribus innotuisse iudico, quum vel ipsis tironibus, historiaram monumenta vixdum inspicientibus, illa non fugiant, quæ de vxore Darii apud Curtium, apud Nepotem de Attici luctu, de aliis alibi, proba historicorum fide referuntur. Neque suostantum lugebant pagana pectora, sed illos præterea, quos nec propinqua cognatione, nec amicitia nexu attingebant, dummodo iacturam quorundam mortibus factam persentiscerent: in quibus erant Principes orbis terrarum, & illi proxime, quorum præclara studia in rempublicam exstabant, vel quorum opem patria sibi pollicebatur. Sic de Numæ Regis obitu Dionysius libro secundo extr. *Τελευτήσαντος δὲ αὐτῆς, πένθος μέγα πρῆθετο ἡ πόλις.* Pari modo Augusti funus valde lugebatur, vt est apud Dionem libro LVI. *Τότε δὲ πένθος, τὸ μὲν ἐκ τῆς νόμου* &c. Xerxis exemplum pernotum est, quem dicunt historici, sciuntque pueri, quum immensum exercitum oculis obisset, illacrymasse, quia tot millibus tantobrevi immineret occasus. Plin. ex Herodoto lib. III. epist. VII.

II. Nolo his & huiusmodi exemplis immorari, quod meliora suppetunt, quo me referre possim, vt luctus æquitatem fortius adseram. Sunt hæc potissimum in sacris historiis

* (5) *

storiis obuia, quam plurima illa quidem, sed in presenti non commemoranda, præterquam vnum illud Abrahami, sanctissimi Patris, & Christiani consummatissimi, qui Sam suam, æternum pietatis & castitatis exemplar, sanctè non oscitanter, neque custodite, sed prolixo adfectu atque ingenuo, apertoque funere honorabat. Plura iam de indultria non persequar, perspectiora fortasse, quam vt e sacris litteris hic recognosci debeant: nec enim ignorari a quoquam suspicor, quæ tum per vniuersam Scripturam exempla luctus recensentur, tum quæ Siracides circa idem pietatis munus commonuit cap. XXXVIII. 16.

III. Nec vero satis luctui factum esse præsci mortales statuebant, si tantummodo, quos caros in vita habuissent, post obitum eos desiderarent; sed ab aliis etiam, se in luctu esse, animaduerti cupiebant, vt isti quoque ad doloris societatem, aut consimilem erga suos pietatem excitarentur. Atque hinc est orta vestitus mutatio, quoties acerbior luctus incidisset: quo finito, ad vestitum (quæ formula est Romanorum) redibant, alii quidem maturius, alii serius, cuius rei rationes sub finem dissertationis adnotabo.

IV. Exempla mutati vestimenti neque sacra, neque ex gentium historiis obseruata, in hoc me negotio deficiunt, ex quibus vnum hic in antecessum exhibebo, plura postmodum additurus, quum circa colorem vestitus lugubris elaborabitur. Vt vero Regium quoddam e sacris repetam, ceteris iam prætermisissis, Dauidem nouimus, quum filium lugeret morti admodum vicinum, & post aliquanto, vbi defunctum esse acciperet, vestem subito mutasse. II. Sam. XII. xx. Eamdemque consuetudinem apud alias gentes obtinuisse, exemplis copiosè deprehendimus, quibus euincitur clarissime, antiquis temporibus lugentium vestes, nec solas lugentium, sed eorum quoque mutatas esse, qui

* (6) *

esse, qui defuncti lugebantur. Id quod paullo post intel-
ligetur.

V. Luctum veneranda antiquitas coloribus etiam
est interpretata, quæ consuetudo, immo & mutata vestis,
ab Aegyptiis fertur originem traxisse. Ita enim Seruius ad
libr. XI. Aeneid. *Morem lugendi quidam dicunt Aegyptios in-
uenisse, eos enim primos Liberum, quem Osirim appellant, a
fratre Typhone per insidias interentum, atra veste luxisse; in-
de ceteris gentibus traditum, ut post interitum proximorum
suorum veste mutata luceant.* Quidquid autem est illud,
quod a Seruio adfertur testimonii; ego nec aduersum huic
opinionem tenebo, neque, si cui contra disputare placeat,
certi quippiam definire sustineo, haud ignarus videlicet,
quam sit antiquissima rerum narratio falsis infecta. Fuisse
tamen lugubrem vestem ab ea, quæ communior erat, co-
loribus olim distinctam, exemplis impeditur, quominus du-
bitem. Verum de ratione, cur sint colores ad internoscen-
das vestes adhibiti, nunc propius videndum est.

VI. Atrata vestis rationem Seruius hanc adlegat: *lu-
gentibus ideo inimica lux, quia caruerunt ea hi, quos lugent;
ideoque tenebras petunt, atra veste amittuntur, & capita velan-
tur, ut cum defunctis agere videantur, imitantes tenebris faci-
em inferorum.* Alii aliunde coniecturas proferunt, quorum
nonnulli atrum colorem ceu constantiæ signum intuentur,
quia varietati minus, quam reliqui, sit obnoxius. vid. Die-
therr. addit ad Besold. Thesaur. pract. voc. Farbe. vnde
causarum patronis, seu aduocatis, maxime nigrum colorem
conuenire, Magonius existimat, de Recta patroc. rat. cap.
III. n. 50. Potest hæc ratio sic adluctum adcommo-
dari, ut consideretur, quam constans ac perpetua sit mortuorum
conditio, vel quod constans erga defunctos pietas esse de-
beat.

VII. Al-

* (7) *

VII. Albus color cur fuerit adsumtus, Plutarchus e-
uoluit in Roman. Quæst. XXII. *An, quemadmodum mortui
corpus albis vestibus induunt, & propinquos idem facere volunt?
corpus autem idcirco sic ornant, quando animum non possunt,
quem purum ac splendidum, deducere volunt, quasi iam emerui-
tum, & magno ac vario certamine * liberatum.* Alia quædam
ratio est hæc, quod somnia, quæ vestes albas obiciunt,
phantasiæ, mortis præsagium ferre creduntur, id quod Ar-
temidoro videtur in Onirocriticis. Nec displicet medi-
tatio, quæ est eiusmodi apud Hœpingium de iur. insign.
cap. IX. §. 3. membr. 2. *Albus color est Deo gratus, ** & ad a-
nimum maxime translatus, propter sinceritatem, simplicitatem,
aptitudinem, mentisque puritatem, qua nos Deo conciliat, be-
atorum cœtui adiungit, ac quasi diuinos reddit.*

* In S. Scriptura martyres, hoc est, qui superarunt in certamine,
albo nobis amictu depinguntur.

** Hinc ipsi Deo candida vestis tribuitur, Dan. VII. Pf. CIV. 2.

VIII. Neque reliquos colores sine consilio delectos
esse, vero videtur simile, quamuis, cur lugentes delegerint,
non statim occurrat: sunt enim varia, quæ aduertuntur
in coloribus, in viridi, * quod oculis profit, in rubro, ** quod
hebetiorem faciat visum, in albo, quod bonam indolem
testetur, quod flauus *** cito deficiat, atque in ceteris hu-
iusmodi. Præbent ista coniecturis occasionem, quibus au-
tem vt indulgeam, coloresque dicam quemadmodum sin-
guli ad luctum convenient, & ab lugentibus cur sint adse-
ctati, nihil est causæ, quod meum valde laceßat ingenium:
quas autem de albo & nigro rationes adduxi, has apud ali-
os auctores, quorum mihi probatum iudicium est, non
ineptas reperi.

* Viridem colorem Turci magni faciunt, quo nemo tam vititur, quam
qui de stemmate Muhammedis. Linn. iur. publ. libr. II. cap.
6. Eun-

6. Eundem apud Græcos etiam Imperatores in pretio fuisse, vid. Zigler. de iur. maiest. libr. II. cap. 21.

** Rubrum colorem a nonnullis pro medio putatum esse, hoc est, qui ad latos casus pariter atque tragicos congrueret, non improbabile est, atque notatu dignum licet ridiculum, quod Buxtorfius exemplum memorat in Synagoga Iud. C. XLIX, R. Iannai moriturum mandasse, ne sepelirent ipsum in vestibus albis vel nigris: non albis, ne ad inferos detrusus veluti sponfus appareret inter lugentes; neque nigris, ne in paradiso compareret ut lugens inter hospites nuptiales: itaque rubris sepeliri voluit.

*** Hanc forsitan ob rationem pro abiecto habetur, ut quo Iudæ proditoris vestitus, & sui similibus depingi solet. vid. Kornmann. de iure virgin. cap. LXXIV. Apud Chineses tamen est color regius, ceteris omnibus interdictus. Becm. Notit. dign. illustr. diss. VI. c. 1.

IX. Sed instituti ratio non tam præcipit inuestigare, cur colores, quam qui sint in luctu, & a quibus Principibus usurpati: hoc igitur nunc agendum. Certum vero est, nonnunquam Principes colorem sibi vindicasse, quem noluerunt in promiscuos usus transire: præsertim quem in luctu adhibebant, isto parcius alias, aut omnino non utebantur.

X. Alba vestis, quantum reperio, Principibus fuit selectissima, rarius quidem antiquissimis temporibus, paulo frequentius autem Imperatorum Rom. ævo, præcipue post Seueri mortem adsumta, quem quum senatus & ministri atro amictu lugerent, feminarum coetus candido comitabatur, quarum in numero, quæ ad Seueri familiam pertinebant, sine dubio fuere præcipuæ. vid. Herodian. libr. IV. cap. 2. Constantinopolitani Imperatores itidem albo lugebant indumento, μετὰ Φορέματος λευκῆ, Codin. de Offic. Constantinop. cap. XI. quem vestitum Cantacuzenus dicit

nus dicit τεκμήριον πενθέντων βασιλέων, Iugentium Imperatorum argumentum, libr. III. cap. 26.


XI. Gallia Reges albo colore fere semper oblectatos esse, in luctu vero violacea * veste indutos, a nonnullis observatum fuit, notatumque ut singulare quoddam, quum Ludovicus XII Annæ conjugis mortem atratus lugeret; quum item Ludovicus XIV, audita morte Cromwelli, atra veste incederet. vid. Becm. Notit. dignit. illustr. diff. VI. Vidua vero regis gesserunt amictum candidum, luctus signum. *Autrefois les femmes Francoises le porroient aussi en blanc, du moins s'il en faut croire Montaigne lib. 1. chap. 49. mais l'inconstance du pais a fait changer cette coutume.* Voyages de Mr. du Mont, tom. IV. lettr. II. unde *Blanches* dici nonnullis videntur; contra quos tamen Limnæum statuere comperi, innitentem Stephani Pasquierii auctoritate, qui non aliunde *Blanches* appellari putat regias viduas, quam a *Blanche*, ** matre Ludouici sancti. Recherche de la France, livr. 11. chap. 15. Quidquid autem hic disputatur; nihil est, quod ipsum colorem impugnare valeat, regis istis viduis in luctu sollempnem: videtur etiam Limnæus, id quod connexa verba ostendunt, pro paucitate exemplorum pugnare, quibus probari queat, album colorem ad luctum fuisse adhibitum. Reprobata enim ista opinione, quod *Blanches* a candida veste vocabulum trahant, alterum quoddam de Didone adfert, eorumque destruere nititur sententiam, qui statuunt, albo colore, quo Dido maritum olim honorauerit, luctum esse denotatum; quod is maule de reuerentia erga maritum interpretari, quem adeo non fleuerit Regina Dido, ut lata potius adorarit, ex quo in numerum deorum adscitum credidisset. Iur. publ. libr. 11. cap. 12. Sed obstat exemplorum paucitati, quod probari potest, Regias in Gallia viduas candido vestitu, & viduam Caroli

VIII. præter morem nigro luxisse. Scip. du Pleix t. II. hist. de France. Remotioribus gentibus hic color non ita, vt Europæis, in luctu rarus est, id quod ii referunt, qui vel lugubres illarum ritus oculis subiecerunt, vel curatius ea, quæ referunt, sciscitati sunt. Pieter van Hoorn in der dritten Gesandschafft an Xunchi Sinischen und Ost-Tartarischen Kaysers/ sic refert: Die trauer Kleider der Sineser sind nicht schwarz/ sondern weiß: & Mr. du Mont. c. I. p. 40. *Le blanc est en Turquie la couleur la plus usitée pour le deuil, ce qui fait, qu'il y est peu remarquable; d' autant moins que l'usage de se vêtir de deuil pour la mort des parens n'y est pas pratiqué comme en Europe.*

* Ad alios quidem vsus, non tamen vulgares, violaceus color ab iisdem Galliæ Regibus refertur. Les Roys de France estoient ordinairement de vestus a la facon des Empereurs, Romains, de belle escarlatte rouge, es iours de festes, & de solennité, leur sacre, pour lequel ils avoient leurs ornemens particuliers de velours violet, azuré, brodés, de fleurs de lis d'or. Fauyn des premiers officiers de la Couronne de France, livr. III. chap. 2.

* Verba eius sunt, quæ sequuntur. *Et long entreiect de temps après Blanche mere, de saint Louys, laquelle sy comporta avec zelle sagesse, que tout ainsi que les Empereurs de Romme se faisoient appeller Augustes, en commemoration de l'heur qui s'estoit trouue au grand Empereur Auguste, ausstoutes les Reines Meres anciennement, après les deces des Rois leurs maris, vouloient estre nommées Reines Blanches, par une honorable memoire tirée du bon gouvernement de cette sage Princeesse.*

XII. Niger color communior erat antiquitus, estque nostro ævo frequentior ceteris; apud Turcos ira quondam sepositus, vt nigro amictu nisi lugentes non prodirent. * vid. Busbeq. epist. I. leg. Turc. Ab Aegyptiis eius originem arcessi, supra cognouimus, eoque ex tempore pro funesto putatus est, ab



ab iis potissimum adsumto, qui clade aliqua afflicti erant, aut
luctui dediti, adeo quidem, ut etiam diis inferis vestes atræ
darentur, atque ex hoc vestitu mortis non raro sumeretur
præfagium. vid. Demster. paralip. ad Rosin. Antiq. libr. IV.
cap. 1. Exempla recentiora nemo forsitan requiret, quod non
modo de plebe homines, sed etiam qui sunt illustriori loco
positi, ipsique Principes, de quibus hic maxime agitur, atro
amictu lugent: uti hoc ipso anno in aula Brunsvicensi con-
tingit, in funere Serenissimi Principis Rudolphi Augusti; de
quo sic in funebri oratione clarissimus Böhmerus, Eloquen-
tiæ Profess. in illustri Julia: *Qui sanguinitatis vinculo eum
attingunt, celsissimi agnati, atrati atque lugubri habitu cum to-
ta aula incedunt, sermone, litteris, & funebribus vestimentis
restantes, acerbe se ferre obitum tam cari, tam sibi dilecti ca-
pitis.*

XIII. Ad antiquitatem quod attinet, exempla quæ-
dam atræ vestis a Kirchmanno collecta sunt, de Funerib.
Roman. libr. II. cap. 17. lectu non iniucunda: quod
vero dicit, *in viris id semper observare licet, habere me-
puto, quod contra ipsum excipiam.* Neque enim atrati
patrem lugebant, sed *τὴν βασιλείαν φέροντες πορφύραν*, pur-
puram gestantes Imperatoriam, Seueri Imperatoris filii.
Herodian. IV. 1. Atque in Augusti funere Tiberius ac
Drusus *Φαιάν εὐολὴν* induti eant, Dio libr. LV. Phæus au-
tem color inter album & nigrum fuisse traditur: atque is
apud alias quoque gentes in luctu sumebatur, uti Antio-
chus, Aegypti Rex, audito fratris obitu, purpura deposi-
ta, phæum induit, Gyrald. hist. poet. olm Hebræos a-
tratos in luctu fuisse, non improbabili ratione conclu-
ditur: *Dauides enim incedebat ater, quum diceret*

se sic incedere, vt qui lugeret matrem. Pf. XXXV. 14. vid. de voc. Kadar Geier. de Luctu Hebr. cap. XXII. §. 5.

XIV. Purpuram dixi a Seueri filiis in luctu adsumptam esse, quod rarissime alioquin contingit: et si enim regius hic vestitus est, in luctu tamen poni solebat, quoniam abesse lugentes a splendore debebant, sic fere perpetuo, vt de Drusi funere Peto Albinouanus:

Adspicitur toto purpura nulla foro.

XV. Ad colores ceteros quod attinet, cœruleum ex istis intelligo inter Persarum regios numerari, quo & nobiliores in Persia lugere dicuntur. vid. Francisci Schau Böhne part. I. erste Versamml. Eodem colore Polydorus olim lugebatur, filius Priami, Troiani Regis: quod signum erat acerbissimi luctus in funere filiorum familias, vt erat Polydorus. vid. quæ Seruius ad libr. III. Aeneid. v. 64. De reliquis præter ea, quæ supra memorata sunt, notatu digna non reperio, nec plura institutum disputandi desiderat. Si quid tamen his addendum; de lugendi tempore nonnihil superadiiciam.

XVI. Certo spatio luctum sæpe definitum esse, annales docent, atque ex his alii inter eruditos adnotarunt. Nolo autem hoc loco ea retractare, quæ Kichmannus congescit de temporis spatio, quo luctus olim circumscribebatur: vix enim vnicum ibi exemplum deprehenditur, quod satis ad hoc institutum sit compositum, vt pote quod de luctu, non quocumque indiscriminatim, sed Regum atque Principum luctu disputatur: quod argumentum alia exempla, eaque illustriora poscit, a Kichmanno fere prætermissa.

XVII. Leges quidem, de lugendi tempore promulgatæ, apud historiarum conditores exstant; at Principes ipsos

ipſos, latores legum, adſtrictos iisdem legibus fuiſſe, nuſquam vlla iniicitur mentio: exempla itaque requiruntur, quæ tempus lugentium Principum ſpeciatiim determinent. Hoc euidentis eſt, fuiſſe inter Principes, qui diutinum tempus luctui inſuſerint, cuiusmodi de Cræſo Herodotus reſert, Lydorum Rege, quod orbatus filio, ingenti luctui biennium indulſerit. Idemque alios feciſſe, iamiam probabo, oſtenſurus vna, ob certas rationes luctum ſæpius, præſertim inter Principes, imminutum eſſe. Vt autem rationes iſtas ante recenſeam, ſunt fere, quas Feſtus hiſce verbis enumerat: *Minuitur luctus, quum votum publice ſuſceptum ſoluitur, quum honos in familiam venit, quum parens, aut liberi, aut vir, aut frater, ab hoſte captus domum rediit, quum deſponſata eſt, quum propiore quis cognatione, quam is, qui lugetur, natus eſt.* Ita ob filium in aui morte veſtes lugubres depoſuit Andronicus, teſte Gregora libr. X. ſect. 3. *Επιχαρής γενόμενος ο βασιλεύς, ημειψεν ες το λαμπρότερον των εν δόματα.* Sic etiam Cantacuzenus in die coronationis lugubrem habitum ponebat, alias veſtes induens, auri ſubtmine picturatas, quas autem poſt hunc feſtum diem ruruſus exiit, reſumtis candidis, quibus antea mortem Andronici fratris luxerat. libr. III. hiſt. Cantacuz. cap. xxvi. I.

XVIII. Commemorantur etiam, qui non multo poſt exſequias luctum omiſerint; neque hodie omnes elugere conſtat: qua quidem in re nihil reprehentionis ineſt, niſi quod contra decorum offenditur, ſuſpectaque redditur, quæ deſunctis debetur pietas: putant enim, qui viſu remæſtimant, mortuis amicis, amicitiam ſimul ac reuerentiam eſſe conſopitam, nihilque deſiderii relictum in ſuperſtitum animis, ſi non externa illud ſignificatione, ſollempnique lugendi ritu comprobetur. Hinc vitio verteſebatur Mariæ

* (14) *

Mediceæ, Henrici Regis Gallia viduæ, quod lugubri vestitu cito repudiata, splendidiorem arriperet, auro pretiosissimisque gemmis distinctam; ex aduerso summis id laudibus ornabatur, quod Catharina Medicea, vidua Henrici II. per omnem vitam lugubri amictu, eodemque per plures annos Christina, Magni Ducis Florentini vidua, conspectæ fuissent, vid. Jul. Cas. Buleng. libr. III. hist. sui temp. fol. 404. Atque hæc de luctu Regio: in quo argumento, quum plus otii fuerit, plenius atque sollicitius elaborabo.

ADDITAMENTA.

I.

Honor & viuis competit, & defunctis

II.

Dolore qui non adficiuntur, an magni sapientesque sint, nescio; homines non sunt. Plin. libr. VIII. ep. 16.

III.

Non tantum homines, sed ^{anno} bestiaæ quoque suas lugent bestias.

IV.

Vestitus est humani lapsus index, sed simul beneficium atque lapsorum ornamentum.

V. Alia

* 15 *

V.

Alia vestis sapienti ac probō viro magis
competit, quam alia. Seneca.

VI.

Vestitus elegans sit, non sumtuosus.

VII.

Vestem scindere quid olim fuerit, pau-
cissimi recte intellexerunt.

VIII.

Vestitu mutato, sæpe mores mutan-
tur, quibus habitus non raro prolusit.

IX.

Ater pannus, sed pectus candidum;
Theologiæ cultores maxime decet.

X.

Nulla tectior fraus est, nullaque fre-
quentior, quam quæ fit coloribus: nam &
vultu homines mentiuntur indolem.

XI.

Alius color terræ nunc est, quam fuit
ante lapsum.

XIII. Cœ-

* (16) *
XII.

Non semper sub rubro capillo, licet
vt plurimum, nequam homines latent.

XIII.


Cœcus est, ac de colore iudicat, qui
Latinitatis nitorem reprehendit, eique ger-
manismum præoptat.

XIV.

*Fingere qui non visa potest, commissa tacere,
Qui nequit, hic niger est. Hor.*











Halle, Diss., 1704 (A-k)

ULB Halle

005 560 527

3



Vol 18







Dornmeier, Christoph. Dissertatio de vestitu colorato in LVCTV REGIO.

DISSERTATIO ¹⁷⁰⁹
DE
VESTITV COLORATO
IN LVCTV REGIO.

QVAM
RECTORE· MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO;
FRIDERICO VVILHELMO,
REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS BRANDENB.
HEREDE, AC RELIQA,

PRO LOCO
IN AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE
IMPETRATO,

Publicæ eruditorum disquisitioni subiiciet

M. ANDR. IVLIVS DORNMEIER,

RESPONDENTE
IACOBO SAMVELE SACCO,
Erfordiensis, S. Theol. & Philol. cultore.

a. d. Septemb. CIO IO CCHIII.

HALÆ, typis CHRISTOPH. ANDRÆ ZEITLERI, Acad. Typog.

